


am igitur parallela sunt, secundū Posydonij definitionem, quæ nec annuunt nec abnuunt, sed lineas perpendiculares inter se sortiuntur ubiq; equales, erit ipsa  $KE$  recta linea æqualis dimidię subtendentis duplā  $AF$  circumferentiam. Similiter  $KN$  erit dimidię subtendentis circumferentiā paralleli, cuius quæ ex centro est  $FK$ , per quā quidem differentiā dies æquinoctialis differt à diuerso. Idc; propterea, quod omnes semicirculi, quorū illæ cōmunes sectiones existunt, hoc est quorū sunt dimetientes, utputa  $BED$  horizontis obliqui,  $LEM$  horizontis recti,  $AEC$  æquinoctialis, &  $FKG$  paralleli, recti sunt ad planū orbis  $ABCD$ .



Et quas inter se faciūt sectiones per XIX. undecimi libri ele. Euclidis, sunt eidem plano perpendiculares in  $EKN$  signis, & per sextā eiusdem paralleli, &  $K$  est centrū paralleli,  $E$  centrū sphæræ. Quapropt̄ et  $EN$  semissis est subtendentis duplā circumferentiā horizontis, qua oriens paralleli differt ab ortu æquinoctiali. Cum igitur  $AE$  declinatio fuerit data cū

reliqua quadrātis  $FL$ , cōstabit semisses subtendentiū dupla  $KE$  ipsius  $AF$ , &  $FK$  ipsius  $FL$ , in partibus quibus  $AE$  est 100000. In triangulo uero  $EKN$  rectangulo, qui sub  $KEN$  angulus datur penes  $DL$  elevationē poli, & reliquus  $KNE$  æqualis ipsi  $AEB$ , qđ in obliqua sphæra paralleli pariter inclinantur ad horizontē, dantur in eisdē partibus latera, quarū q̄ ex cētro sphæræ est 100000. Quibus igitur quæ ex centro  $FK$  paralleli fuerint 100000. dabit etiā ipsa  $KN$  tanq; dimidia subtendentis totā differentiā diei æquinoctialis & paralleli in partibus, quibus similiter orbis parallelus est  $CCCLX$ . Ex his manifestū est, rationē  $FK$  ad  $KN$  constare duabus ratiōibus, uidelicet subtensæ dupli  $FL$  ad subtensam dupli  $AF$ , id est  $FK$  ad  $KE$ , atq; subtensæ dupli  $AB$  ad subtensam dupli  $DL$ , estq; sicut  $EK$  ad  $KN$ , nempe inter  $FK$  &  $KN$  assumitur  $EK$ . Similiter quoq;  $BE$  ad  $EN$  rationem, componūt  $BE$  ad  $EK$ , atq;  $KE$  ad  $EN$ . Sic equidem existimo non solū dierum & noctiū inæqualitatem, uerum etiā Lunæ & stellarū, quarumcunq; declinatio data fuerit parallelorū, per eos motu diurno descriptorū segmenta discerni, quæ supra terrā sunt, ab ijs quæ subtus, quibus ortus & occasus illorū facile poterit intelligi.